



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Ærumna XLVI. Perditio Judæ, & sinistri Latronis.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

quia me amas, rape me tecum per amorem: & quia ardes pro me, etiam me accende. Quid me vis, amor divine, cum tanta pro me pateris, ac toties me vocas? ecce me! fac tuum officium; transforma me, muta me, totum me consume in te: ô divine, ô superne, ô pulcher, ô suavis, ô unice amor! qui potes quidquid vis, & his, quæ pateris, vinci non potes.

O Sacratissima Virgo! adjuva, ut vulneretur cor meum amore Domini JESU: adjuva, ut fanetur amore, quo tu jam vivis, & stas patiendo cum illo ad crucem. O amatores cæli, estote liberales erga hunc pauperem, quem tantum amatis: & quia mea salus est in hoc amore, amate etiam pro me, ut me inflammetis amore mei JESU. Amen.

## ÆRVMNA XLVI. Perditio Iudæ, & sinistri latronis.

### I.

 amore nascuntur odium, timor, lætitia, dolor: odium contrariorum rei amata, timor amittendi, lætitia obtenta, dolor amissa. Qui novit, quantum Dominus noster amet peccatores, & considerat, quid fecerit, ut ostenderet eum amorem, quidque pro eorum salute sit passus, intelliget, quanto in gradu fuerint apud eum hæc tria: Timor, ne multi ex ipso suæ damnationis occasionem sumant, gaudium de salute, dolor de perditione multorum. Nec dubium est, quin fuerit unum è gravioribus ejus tormentis, præsertim in passione, memoria Filiorum Adæ damnandorum, quibus omnis labor & passio sua profutura non erat; quia remedia salutis, quæ pro illis tanto studio & impensâ parabat, non fuerunt adhibituri: singulariter verò sentiebat eorum perditionem, qui auctores & ministri suæ mortis fuerunt, pro quibus immolabat seipsum, & sanguinem suum. Nam dolendum erat, propter eadem ipsos damnari, quæ ab ipsis patiebatur pro ipsorum ac totius mundi salute. Eum dolorem Dominus expressit per Prophetam his verbis: *Heu! consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Quasi dicat, triste solatium de hostibus

*Amor est fons humanarum passionum.*

*II. cap. 1. v. 24.*

XXX

hostibus

hostibus meis, quod, cum sanguine meo suapte culpâ juvandi non sint, è solâ justitiæ in illos animadversione solari me debeam, cum pro illorum salute sim mortuus.

Quanti-  
dam  
damnatio  
hominum  
Christo do-  
leat.

II. Quod si Christus omnium damnandarum interitum graviter sensit, quanto acerbior ei fuerit illorum damnatio, quibus majores exhibuit favores, & plures dedit occasiones illam evadendi? quales fuerunt illi duo, quorum alterum inter selectos discipulos mensæ, alterum passionis in cruce socium habuit. Certè Judas habuit sufficientissimam gratiam, quâ non ipse tantum damnationem effugeret, sed etiam alios quam plurimos ab ea eriperet, sicut fecerunt alii Apostoli. Nam adscivit eum è plebe in discipulum, annumeravit Apostolis, quibus credebatur sua secreta, & accuratiorem doctrinam tradebat, semper eos habens vitæ, itinerum & mensæ socios. Quæ non exempla heroicarum virtutum viderit in Christo? quæ verba vitæ æternæ è sanctissimo ejus ore audierit? ea denique expertus fuerit in illa divina familiaritate, quæ ipsos etiam dæmones in Angelos potuissent convertere. Habuit à Domino potestatem patranda miracula, quæ etiam in ejus nomine sanctissimo fecit, multos liberando à dæmoniis. Sed è tot ac tantis experimentis ejus Majestatis ac potentia, nullum valuit mentem hominis ab improba cupiditate avertere; ut Dominum suum non turpissimè venderet. Succurrit ei Dominus majoribus & efficacioribus auxiliis, ut eum revocaret à proposito. In ultima Cœna dignatus est eum sacrosancto Corpore & Sanguine suo; fecit Sacerdotem, ut perhibent S. Leo & S. Augustinus: lavit ei pedes, miscendo his omnibus inspirationes internas: quæ frustra cum essent, palam dixit Apostolis, ab uno eorum se proditum iri, satius autem fore illi, si natus non esset. Sed improbus nec amore neque timore est motus. In horto admisit illum ad osculum, ac tenerimo verbo reprehendit ejus perfidiam, quo vel tigris potuisset mansuescere: *Anise, ad quid venisti? osculo filium hominis tradis?* Omnia furdo. Sed cum videret Jesum condemnatum duci ad Præsidentem, & Judæi nollent recipere pretium prodicionis, pro venia petiit laqueum, quo animam consceleratam exclusit, ac demisit ad inferos. Ita discipulum ac socium Dominus perdidit, cui, cum non soleat

Esu in lu-  
dam colla-  
sa gratia,

Matth. cap.  
26. v. 50.  
Luc. c. 22.  
v. 48.

mentes arbitrii libertate donatas cogere, tamen se faventem ac benignum præbuerat, ut nihil ei deesset, quod necessarium ad salutem fuisset.

III. Ejus jacturam Dominus cum postea refarciret conversione unius latronis, misericordiam imploranti paradisum promisit, non sine significatione, quantum conversione peccatorum delectetur. Nam ut voluntate sua pereuntes, justitiâ exigente condemnat; ita veniam petentibus parcit cum gustu: & ubi tanta est propensio ad ignoscendum, necessariò magnus est sensus eorum interitu, quos tantopere cupit servatos. Cum ergo latro, qui à sinistris Domini pendebat, non habuerit minorem occasionem veniæ obtinendæ, quàm alter, & uterque aspergi potuerit sanguine, quem pro utroque fundebat Redemptor omnium peccatorum, filius DEI non potuit illius interitu non valde dolere. Viderat homo innocentissimum Agnellum, ut primùm cruci affixus est, alta voce orare pro peccatoribus: viderat patientiam ejus plùs quàm humanam; silentium & mansuetudinem, quâ audiebat tantas injurias ac blasphemias: viderat oculis defixis in caelum continuò fundentem lacrimas: viderat tenebras ac terræ motum, qui totum conterruit mundum: viderat pœnitentiã socii, & receptionem ejus in gratiam; qui illa omnia perpendens accedente lumine interiore, agnovit Christum innocenter hæc pati, & regnum habere utique caeleste; & sic ductus pœnitentiã scelerum, quibus in crucem adactus erat, & blasphemiarum, quas effuderat, satisfecit pro illis, ut poterat, generosâ & publicâ confessione: dum acriter primùm reprehendit socium; postea conversus ad Dominum, confessus est eum Regem gloriæ: *Domine, inquit, memento mei, cum veneris in regnum tuum* à quo v. 42. etiam, audientibus inimicis ejus, paradisi, eadem adhuc die adeundi, promissionem accepit: quâ & in gratiâ Dei positus, & in eadem confirmatus est, per baptismum Charitatis. At alter nihil motus tanto exemplo, obstinatè continuans blasphemias periit, cum divinæ pietatis ostium ipsi non minùs pateret, ad latus Domini, & in sanctissimi corporis, & salutiferæ crucis ejus umbra pendenti: quem licet Christus, ut obstinatum in malo, tanquam

justus Judex damnaverit; tamen ut Redemptor, ut Pater, ut fidelissimus amicus, & bonus Pastor pecudis infelicis, valde doluit, in tam excellenti occasione salutis obtinendæ, voluntariè perire. Atque his excessibus & angustiis divini amoris non parùm augebantur Domini dolores, alioquin gravissimi.

*Magis salutem nostram desiderat Deus, quam nos ipsi.*

IV. Multa hîc docemur magni momenti. Primum, non posse nos tantopere desiderare & curare nostram salutem, vel sentire nostrum interitum, quantopere Dominus ipse sentit ac desiderat, qui omni tempore & horâ stat expansis brachiis, ad recipiendos, quos pœnitet peccatorum, offerendo suos divinos thesauros omnibus acceptare volentibus. Neque hujus rei majus exemplum vel demonstrationem possumus desiderare, quàm quod exhibuit in latrone, quem voluit primum à suâ morte salvari per confessionem veræ fidei, & sui amorem: certam in eo fiduciam faciens omnibus peccatoribus, quibus omni tempore patet locus, in quem hîc latro primus intravit.

*Nulli usquam de securitate præsumendum.*

V. Hanc autem confidentiam, quam securam habemus ex parte Dei, dubiam reddunt Judas, & malus latro. Nam quo loco quis tutiorem cogitare potest suam salutem, quàm in cælo inter Angelos, in terrâ inter Apostolos, in morte ad latus Christi crucifixi? sed neque in cælo securi fuerunt, ex quo ceciderunt tam multi: neque in statu Apostolico, ex quo Judas abiit in perditionem: neque in societate Salvatoris crucifixi, ubi latro damnatus est. Nulla gratia Domini securas facit animas libertate præditas, si non liberè cooperentur, & occasione salutis, à Deo datâ, utantur. Sed ille, qui immemor sui omnibus in rebus, cor suum permittit suis appetitibus, certus est de suo interitu, nec ullum ei prodest auxilium. S. Gregorius in L. 4. dialog. narrat horrendum exemplum unius, qui post mortem damnatum se vidit, & resuscitatus à Deo tam improbè vixit, ut moriens iterum in eandem damnationem reinciderit. Dominus noster in Evangelio noluit quenquam confidere suis talentis, nisi negotiando cum illis promereatur regnum cælorum. Solus humilis, qui curam habet animæ suæ, & cum timore DEI, utitur gratiâ sibi concessâ, vivens in perpetua cogitatione ac studio placendi Deo, uniendo se illi per amorem, salutem suam collocat in tuto.

VI. Atque

VI. Atque ut confidentia in Bonitate Dei non faciat nos negligentes, ut evenit interdum propter nostra peccata, & ut nemo sic de ultima hora confidat, quasi certò salvandus in illa, pœnitendo ex corde; recordemur ejus, quod S. Augustinus monet, loquens de conversione Latronis: & si dubium non sit, recipiendum à DEO in gratiam, qui toto corde convertitur ultimâ vitæ horâ; dubium tamen magnum esse, an ille, qui tota vita sua non utitur auxiliis DEI, ut convertatur, an, inquam, ille hoc ita sit factururus in extremis, cùm plenus fuerit doloribus ac timoribus, ut mereatur acceptari ejus conversio. Ideo DEUS providit, ut, cùm in S. Scriptura legantur exempla plurium, qui tempore vitæ egerunt pœnitentiam, nullius autem eorum, qui fortè in extremis conversi sunt, nisi solius boni latronis: ne quis temerè polliceatur sibi similem felicitatem.

## E X E R C I T I U M

### De dolore Christi ex interitu Judæ & Latronis.

#### I.

Totus es bellus, ô Jezu, totus placidus, totus suavis & amarus: cùm accedis ad corda peccatorum, oculi tui convertunt animas, verba tua molliunt duritiam, conversatio tua attrahit aberrantes à via, societas tua ducit captivos. Totus es amabilis, totus verax, totum te consumis & impendis amori peccatorum, & semper renovas amorem eorum. Tuis pedibus sanctificasti Magdalenam, tuâ præsentia domum Zachari, vocatione tuâ Usurarium Matthæum, & Paulum persecutorem, oculis tuis Petrum abnegatorem. Manducasti cum peccatoribus, collegisti eos comiter, recepisti misericorditer, defendisti sapienter, gratiâ tuâ liberaliter eos locupletasti; & ut verus Judex justificasti publicanum, dedisti latroni paradysum, & nullum peccatorem reliquisti sine remedio, si non propria voluntate sit perversus. Totum te consumis amore peccatorum; quandoquidem habuisti majorem rationem salutis ipsorum, quàm tui honoris & vitæ. Totum te pro illis tradidisti, luxisti mala illorum, luisti pœnas pro illis; ostendisti, quanto flagres eorum amore ac desiderio salutis

salutis, & quantum tibi mœroris afferat ejusvis eorum damnatio.

II. Quòd si omnes, qui pereunt, tantum creant tibi dolorem, quis cogitare potest, quantum creaverit interitus Judæ & latronis ad latus tuum pendentis? Qui te amat, Deus meus, id bene intelligit, quia novit immensitatem tui amoris. Hos duos jam habebas in reti & in occasione, ut eriperes eos diabolo; sed illi sua sibi obstinatione & malitia damnationem arcessiverunt. Quis dubitet, magis hoc tibi doluisse, quàm crucem? Hoc ergo restabat addendum tuis doloribus. Benedictus sit amor tuus divinus! Ita es tu, Domine: ita es tu, Redemptor mi, ut non omittas facere pro peccatoribus, quidquid potes. Judam consecrasti sacerdotem, cum te jam vendidisset; dedisti ei sacratissimum corpus & sanguinem tuum: pedes ei lavisti: potenter ad cor ei locutus es, & ut sibi timeret, addidisti, meliùs ei futurum fuisse, si natus non esset: admisisti eum ad osculum & amplexum in horto, & cum proditor esset, amicum vocasti, ut videres, an sineret se expugnari; sed ille perit, quia voluit: & tu cum sensu tam suavibus & amorosi cordis, ivisti ad patiendum pro illo, sciens hoc ei non profuturum. Sic ille damnatus est, & cor tibi dolore fauciatum reliquit.

*Cardium  
de salute  
bonis, & do-  
lor de da-  
mnatione  
malis latro-  
nis.*

III. Videtur mihi ex parte satisfactum fuisse tuo amorì, cum cerneres à dextris tuis latronem, poenitentem suorum peccatorum; quia tam promptè illi promisisti paradysum; sed alterius pervicacia mox renovavit dolorem. O amor divine, non cæce, licet sponte capte pro peccatoribus, quales dolores sunt isti? hecne otiosus es in cruce, ut oblitus tuorum cruciatuum, sentias voluntariam damnationem impiorum? O infinitum ignem! O viscera paterna! O vera amicitia, tam sincera, tam pura, tam prodiga, tam immemor sui, & tam sollicita pro peccatoribus, quos amat! Quare, mi bone Jesu, te non amo ex toto corde? Quare vel unum momentum vitæ meæ consumo sine tuo amore & servitio? O si possem sic occupare omnes meas cogitationes in te, sicut video te totum occupari in me! Quando, o quando videbo me sic occupatum! o quàm longè id abest, & quàm diu differtur? propera, mi divine Pastor, ut amore tuo me capias, & ego omnes cogita-

cogitationes meas defigam in te : quia hoc solum tibi placet , & ego id sine ope tua obtinere non possum. Sufficiant dolores, quibus affeci te peccatis meis ; ne sinas eos augeri cum interitu meo. Ab hac hora in perpetuum trado me tuæ voluntati : recipe me pro tuo, crucifige me, & salva me.

IV. O potens Rex gloriæ ! ô Domine paradisi ! ô vere amice & pastor animæ meæ ! habes hic alium latronem, quo leves tuum dolorem ac sensum ; quo te afficit ille, qui damnatur tam bona occasione salutis. Ego sum latro, majore jure cruciandus pro meis peccatis. Ego sum corruptor bonorum talentorum gratiæ & naturæ, quæ mihi dedisti ; quia sum illis abusus, neque per ea sum operatus meam salutem. Ego millies prædatus fui gloriam tuam superbiâ meâ, & vanitate, non attribuendo tibi dona tuâ ; & tuâ cum essent, vanissimè mihi vendicando, quod debui gratiæ & misericordiæ tuæ : ego violavi iudicium & justitiam, permutando veritates tuas mendaciis mundi & carnis, per infelices suggestiones spurcorum gustuum vitæ : ego sum ille, qui majorem partem vitæ consumpsi in operibus dignis supplicio. O quoties, Domine, poteras me exturbare è vivis, justè me tradendo potestati diaboli, & mittendo ad inferos ? at tu semper infinitâ misericordiâ tuâ me supportasti, & expectasti hucusque. Et ego hic adsto tam parùm usus illâ ; sicut tu, ô piissime Jesu, vides ac sustines. Ergo, unice subventor in malis meis, qui tantum doloris capis ex damnatione unius latronis ; hæc est hora meâ ; ecce hic alium pejorem, quem justius condemnares. Da mihi, Domine, crucem hanc vacuum, ne sine fructu perdat suam virtutem, quam in illo latrone non habuit ; tu sanctificasti eam : mihi est reservata : mihi da illam, divine Agnelle : suspende me in illa ad latus tuum : compensa tibi in anima meâ jacturam illius obstinati. Ego, Deus meus, confiteor cum bono latrone, socio meo felice, quod tu sis Rex & Dominus paradisi ; & quod possis eum dare mihi, si velis, neque neges eum puro amore ad te conversis. Confiteor, Domine, quod hic, ubi pendes, sis Deus, & Filius Patris æterni, qui me potes salvare. Confiteor, quod, quidquid ordinaveris, ut patiar pro peccatis meis, multò sit minus merito. Tu, ô Innocens Agnelle, pate-

*Deteriores sumus Latronibus cum Domino crucifixo.*

*Ne cruce mali latronis virtutem suam perdat.*

le, pate-



le, pateris injustè; quia nihil mali fecisti, sed omnibus bonis re-  
ples animas, quæ volunt ea à te accipere; ac dives es thesauris bea-  
titudinis & gloriæ. Sed ego, qui non sum veritus offendere boni-  
tatem tuam, & infinitam majestatem, ac amorem tuum, justè  
damnabor.

*Tu te illi  
affige.*

V. Sed ô Salvator mi! memento mei, cum vadas ad regnum  
tuum. Da mihi hunc locum ad latus tuum, qui jam est vacuus, ut  
spem habeam, quòd me tecum sis ducturus in paradysum. Ne  
amplius doleas de interitu animarum, accipe hanc, quia me con-  
verto ad te; & tu non minus amas me, quàm istos, qui tecum sunt  
crucifixi. Non peto, Rex gloriæ, ut hodie sim in paradiso, sicut  
promisisti socio meo: neque enim id mereor: sed hoc peto, ut ho-  
die me affigas cruci, & in ea me relinquant, dum vivam: quia in  
ipsa totum offero tuæ divinæ voluntati. O bone Jesu! utinam in-  
veniar in ea & in societate tua, captus & affixus amore tuo, gra-  
tiâ tuâ, & miseratione tuâ, ut à te non amplius possim recedere!

*Quò calo  
ac Deo vi-  
amur suis,*

Bone Pastor, ac Domine hujus animæ! tu scis, cruce nihil esse pa-  
radiso vicinius: scis nullum habere certius pignus gloriæ, quàm  
crucifixos: & nullum esse securiorem de tua societate, & influ-  
xu gratiæ & amoris tui, quàm qui pendet in cruce tuæ deditus  
voluntati. Crucem, & gratiam tuam, Domine, peto à te, ut se-  
cure maneam ad latus tuum, quod est verus & suavis paradysus  
animarum crucifixarum: ibi securus ero de regno tuo: ibi con-  
sumentur & finientur peccata mea: ibi aliquo modo evadam tui  
similis: ibi mihi dabis amorem tuum: ibi tenebo te strictè: ibi vi-  
vam per te, & moriar pro te omni voluntati hujus vitæ: moriar  
suaviter in te, & semper gloriosè tecum regnabo.

O Mater Dei, advocata peccatorum! quæ oculis tuis conspe-  
xisti has miserationes, quas Dominus exhibuit peccatoribus, ac do-  
lorem, quem cepit ex damnatione illorum, melius intellexisti, quàm  
ullus alius, quia plùs aliis omnibus amavisti: & vides etiamnum  
ejus amorem finitum non esse, sed durare, sempèrque duraturum;  
jamque petivisti, ut misereatur peccatorum: porrige manum isti,  
qui te invocat. Impetra mihi locum hujus latronis perditum, ut in eo  
perseverem totâ vitâ meâ, & sic merear alium postea in regno tuo.

O for-

O fortunate latro, qui hodie abis ad paradifum, & tam familiaris es Domino, compatere huic misero peccatori, socio tuo, & juva me, ut impetrem crucem, quæ te salvum fecit: & amorem, qui renovavit, & gloriam, quæ te coronavit. Amen.

## ÆRUMNA XLVII. Sensus Christi è doloribus Matris.

### I.



Acratissima Virgo, Domina nostra, fidelis socia fuit ærumnarum Filii sui, Redemptoris nostri, tantumq; de illis participavit, ut sine particulari memoria præteriri non possit. Quia causa dolorum fuit illi videre, quæ Filius patiebatur: sed neque Filio parvum dolorem creavit, videre & nôsse, quid amore sui pateretur dilectissima Mater. Et ut hæc semper perfectè est imitata Filii sui virtutes heroicas, ita etiam in doloribus, & patiendi modo similis ei fuit, quantum decebat. Sustinuit in corde suo magnum certamen, hinc amoris erga Unigenitum suum, quem tanta sciebat passurum; inde verò submissionis erga voluntatem Dei, ac desiderii ardentissimi peragenda Redemptionis peccatorum, quorum advocata jam erat: sic ut amor salutis nostræ desiderium mediorum ad eam necessariorum accenderet; sed amor maternus erga Filium, cui tanto media illa constarent, ea refugeret, reverentia verò Divini Numinis ipsam DEI voluntati plenè subiceret.

*Ærumna  
B. V. Filio  
doluerunt,*

*Ejus in voluntatem  
Patris æterni resignatio,*

II. Appetente jam Passione Domini credunt Sancti, eum pro suo amore & obedientia, quâ semper fuerat erga Matrem, ipsi valedixisse, petendo licentiam exequendi decreta Patris æterni; cui placeat, ut ipsa quoque suæ cruci assistat, ac defuncti corpus involutum sindone sepeliat: simul indicando, quid interim ei faciendum, & ubi commorandum sit, quoad resurgat; denique discipulos & reliquos fideles ei commendando. Et quia jam aliàs indicaverat illi, quænam passurus esset, compendio ipsi tunc omnem rei seriem recitasse, ut spiritu eum comitaretur. Credibile est, eos hîc non amplius multis verbis utos, sed oculis & affe-

Y y

ribus